Daphnum fluvium è mari ejectum, adhæsit ſcopulo, non ita multùm à mari diſtanti, & adhuc usq; diem ſcopulus ille Troilus appellatur. Heſiodum verò mortuum è littore ſtatim ſuſcipiens Delphinorum multitudo in Rhium exportavit, juxta Molycriam: ubi tum forte Locrenſes ſtata ſacra peragebant. Erat enim celebritas, quam etiam hoc tempore ſplendidè ſervant. Itaq; cum allatum corpus viſum fuiſſet, admirati omnes (ut fit) ad littus accurrerunt; & cum recens cadaver agnovissent, rebus omiſſis, cœdis autores inveſtigârunt propter egregiam Heſiodi famam: & hoc quidem celeriter effecerunt. Nam inventos eos & comprehenſos, in mare vivos præcipitaverunt, & eorum domum ſubverterunt. Porrò Heſiodus in Nemeo ſepultus eſt: ſed pauci ſunt alienigenæ, qui ſepulturæ locum ſciant: ſiquidem propter Orchomenios occultatus eſt, qui moniti oraculo, hujus Viri reliquias apud ſe ſervare conabantur. Hæc quidem Plutarchus: & hæc etiam ego de Heſiodi morte ac ſepulturæ loco. Nihil jam reliquum eſſe puto, Auditores Spectatiſſimi, quod ad deſcribendam Poëtæ noſtri celeberrimi perſonam faciat, quàm ut etiam de rebus ab illo geſtis breviter vobiscum communicem, & imprimis opera ac ſcripta, quæ non absq; magno ſui elogio, & ſummo ἀνθρώπων emolumento ſeræ poſteritati reliquit, paucisſimis contractam. Horum quidem magnus eſt numerus. Nam præter Opera & Dies, & Theogoniam, & Scutum Herculis, ſcripſit quoq; Aſtronomica & Hypotheses, i.e. vivendi præcepta, necnon Herorum & Heroidum Genealogias, item de Mulieribus & de Arte vaticinandi, quam, teſte Pauſaniâ, ab Acarnanis didicerat. Præterea ſcripſit etiam de Dactylis Idæis, & Pelei Thetidisq; Epithalamium, nec non Epicedium in Batrachum Amicum ſuum. Plinius de herbis eum ſcripſiſſe tradit, Plutarchus in Convivio Septem Sapientum commemorat, ab eodem de Arte Medicâ ſcriptum fuiſſe. Non nulli etiam Heſiodum Apologorum eorum, qui ab Æſopo nomen habent, Autorem faciunt. Apud Lucianum quoq; Dialogus quidam eſt, ubi multa de ſe loquentem ipſum Poëtam inducit Lucianus. Nicocles per Rhapſodiam Heſiodum carmina primum compoſuiſſe dicit. Cujus carmina etiam in medium profert, in quibus Poëta